Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 809
Quelle:
Copyright:

Neapoli, ut *p.* 1. subnotatur, hunc titulum praefert: *In dei nomine summi opificis incipit praephatio libri prosperi. De Vita Contemplativa.* Libri hujus, seu rectius III. Librorum Autorem non esse *Prosperum Aquitanum* post medium V. Sec. vivis exemtum, quamvis varii id ab usque IX. Seculo tenuerint, sed *Jul. Pomerium Caesarii Arelat.* Sec. V. praeceptorem pluribus argumentis, et inter ea testimonio S. *Isidori Hispal. de Scriptt. eccl.* c. 12. ostenditur in *Fabricii Bibl. Eccl.* ad *Gennadii* c. 84. in *Hist. liter. de la France* T. II. p. 402. et in *Adpend.* ad *Opera Prosperi* edit. *Paris. 1711. Admonit.* praevia f. quo te, si lubet, refer. Jam Praefatio incipit: *Diu multumque renisus uoluntati tuę mi domine studiosissime pontificum iuliane* &c. rectiusque in Codice post verba: *Sed iam ipsa capitula quę utcunque soluenda proposuistis adtexam*, Elenchum XXV. Capitum statim inserit, et dein continuat: *Itaque iubes ut paucis edisseram* &c. quam in Editis, ubi duae hae Praefationis partes connexae sunt, eisque demum Elenchus subjungitur. Libri III. c. 15. verbis: *unde peccati desideriis seruiamus* — — evulsis membranis abrumpitur Opus, cujus lectio paene nunquam ab Editis discedit. Leve est in Praef. *quod iuberetis accederem* pro *accedere*, et pravum, *ut innubilanda cognosceret*, pro *illuminanda*, vel, ut alii Codices, *enubilanda*, aut *innubilata*, quemadmodum solertes Editores adnotarunt. In alio Codice solum *Caput ult.* nobis deesse dixi.

II. *Fol.* nunc 49. ob evulsas, ut dixi, membranas initio trunca sequitur Συλλογη ascetica ad instar *Scintillarum Bedae*, cujus prima verba: *bono proposito adhuc in mentis teneritudine esse conspicitur, despiciatur, quia frumentum dei ab herba incipit.* Articuli deinceps integri his rubricis gaudent: *De Confessione. De penitentia. De compunctione. De amicitia uera. Vt boni uitare debeant consortium malorum. Quod amici uitium corrigendum esse oporteat. De amicitia muneribus orta. De fictis amicis. De exemplis sanctorum. De libero arbitrio. De vitiis. De conluctatione carnis et spiritus. De superbia. De Humilitate. De luxuria. De continentia. De sublimibus potestatibus. De iustitia principum. De prauis judicibus. De oppressoribus Christi pauperum. De iniustitia. De breuitate vitę. Neminem iustorum contristari morte debere. Cum sit in uiuendo labor et periculum, in moriendo pax et resurgendi securitas.* Adscribam ultimi hujus initium: *Melior est dies mortis die Natiuitatis. Melius est exire de seculo. et carere tribulationibus. quam ingredientem mundum hęc omnia sustinere.* Et finem: *quia cor eius anxietate et suspectione confunditur.* Compilatorem nescio; video tamen illum potissimum uti *Sententiis Isidori Hispal.* Quod ait in Art. *de Exemplis Sanctorum fol.* 61. adlato illo *Hieronymi: Non ierosolimis fuisse, sed iero-*